

à Deo & parari & dari, quibuscunque paratur & datur: sed sic tamen, ut nos nihilominus laborare & tu dare oporteat.

Sequitur iam *versus 23* cum audissent decem, indignos esse de duobus fratribus. Iesus autem vocavit eos ad se, & ait: Scitis, quod principes gentium dominantur illis, & qui magni sunt, potestatem exercent in eas. Non ita erit inter vos, &c. Verè dixit Ieremias, Cor hominis pravam esse & inscrutabile. Nam & in ipsis discipulis abyssus quaedam errorum fuit. Vbi Dominus ambitionem duorum discipulorum compescuisset, exurrexit eadem mox & in decem illis, idque vna cum invidia. Huiusmodi vè tò sunt omnium quoque nostrum ingenia, nondum plene regenerata per spiritum sanctum: imò regenerata etiam peccati reliquias retinent. Sed veniamus ad Domini verba. Curaturus is in presenti animos suorum invidia & ambitione saucios, discernit pulchrè functionem politicam ab ecclesiastica: docens non eos principum & magnatum more dominari debere, sed inservire omnibus, suo ipsius exemplo, ut qui non venerit dominari, sed ministrare. Non damnat neque abrogat magistratum, sed separat ab hoc functionem apostolicam: interim tamen obiter & testè admonet, se quaedam in magistratu politico correctè velle: nimirum ambitionem & tyrannidem, ut cogitent magistratus se esse ministros Dei, & subditos suos esse populum Dei, ideoque neque sese efferant neque illum opprimant. Verum multo magis vult magistratus ecclesiasticos omni ambitione & tyrannide alienissimos: nimirum ut quemadmodum sese vocant seruos servorum Dei, sic verè seruos sese & agnoscant & habeant: quemadmodum dicuntur papæ & episcopi, hoc est, patres & inspectores, sic quoque tales sese præsentent;